



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR.de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy, 10.

34.

D. O. M. A.

ARMINI
CHERVSCORVM
DVCIS
VITAM ET RES
GESTAS

DISPUTATIONE ORDINARIA

SVB PRÆSIDIO

PAVLI HACHENBERG
ELOQ. ET HISTOR. PROF.

Publico omnium examini

In Auditorio Philosophico

Ad V. Julii M DC LXXIX. Hor. Sol.

Proponet

FRIDERICVS THEODORVS SPIEGEL
de PICKELSHEIM
Nobilis Westphalus.



HEIDELBERGÆ,
Litteris SAMVELIS AMMONII, ACAD. Typograph.

This image shows a single, horizontal page of aged, cream-colored paper. The paper has a textured appearance with visible fibers and some minor discoloration or foxing, particularly towards the edges. There are a few small, dark spots scattered across the surface. A dark, solid horizontal band runs along the bottom edge of the page, which appears to be the binding or a strip of tape. The rest of the page is blank and devoid of any text or markings.





ARMINIUS.

Aermania, amplissima gentium populorumque mater, Europæ decus atque præsidium, nunquam fortissimis Heroibus caruit, quorum rebus gestis æternam apud omnes nationes sui sibi nominis famam gloriamque conficeret. Verùm ex omni memoria magnum in primis, atque inclytum ARMINII nomen est: clarius procul dubio futurum, nisi in ea incidisset tempora, quibus Germani facere fortia, quam scribere malebant. Sed nec carmina ea, unicum Annalium genus, quibus adhuc tempore Taciti apud Germanicas canebatur Tacit. An. lib. II. gentes, posterorum pietas conservavit: sive quod inter certamina blandientium facile Principes sileantur illacrymabiles, ubi nullus gratiæ, nullus ambitioni locus superest: sive quia mortuos laudari desisse dicendum est, postquam homines laudanda facere desierunt. Igitur omnem Arminii nostri memoriam famamque debemus Scriptoribus Romanis, qui dum clades gentis suæ inferunt Annalibus, hujus quoque Herois virtutes æternitati consecrâunt. Sed licet diversis laudibus à Romanis hostibus celebretur, id tamen omnium præstantissimum atque verissimum præconium est, quo LIBERATOR GERMANIAE à Tacito deprædicatur. Idem, ibid.

A

II. In

II. In illo exornando , ut omnibus imperatoriis præsidiis instructus , Germaniam felicissimè vindicaret , Natura & Virtus contendisse videntur. Illa primùm concescit genus nobile , & Majorum imaginibus augustum : quippe Pater ejus Sigimerus , Princeps validissimæ & fortissimæ *Cheruscorum* gentis , cuius vera ac præcipua sedes ad Albim ac Visurgim fuit. Non heic ambitiosè agam , ut nobilitatem tanti generis à Trojanis arcessam , quod nupero seculo ineptissimus Scriptor in laudibus Arminii memorandum putavit. Tanquam nemo ante fabulosos Illi cineres , nemo ante Priami cadentis domum , inter Germanos nobilis ? aut tanquam magnum & eximum stirpis decus , si quis ad adulterum Paridem , aut proditorem Antenorem , aut furiosum Hectorem origines suas deducat ? Sed inter Germanos olim , sicut inter cæteras gentes , pares omnes Natura genuit , sola virtus discrimen interposuit. Et quanquam magna patrum merita , ut Tacitus scribit , Principis dignationem etiam filiis adolescentulis assignarent ; idem tamen virtutis experimentum abs se exigere jubebantur , per quod Parentes in tanto fastigio steterant.

III. Sunt , qui ad ejus formam pulchritudinem que respexisse velint Maronem , ubi canit :

*Dejicit Herminium , nudo cui vertice fulva
Cæsaries , nudique humeri ; nec vulnera terrent.*

Vellej. lib. II. cap. cxviii. Sed apertius dignitatem corporis , vultusque vigorem notat Vellejus , apud quem *Juvenis ardorem animi vultu oculisque præferens* dicitur. Grata hæc , & amica populo , qui personam imperantis non animis solùm , sed etiam oculis servire suis cupit. Et barbari semper homines , ut Curtius demonstrat , *magnorum operum non alios capaces putant . quam quos eximiâ specie donare natura dignata est.*

Nec

Curt. lib.
VI. cap. v.



ARMINIVS.

Nec tamen accedimus doctissimis viris, qui Naturam ipsam
semp̄ magnis mentibus domicilia corporum digna me-
tari statuunt : quum imperium *in virtute esse*, non in
decore, rectius cum Alexandro Severo censeamus. Sed

Lamprid.
cap. xxxiii.

& ineptissima eorum plerumque conjectura, qui ex o-
ris vultusq̄e ingenio, aut corporis habitu filoq̄e scisci-
tantur, quantus hominem spiritus intraverit habitator.

IV. *Fortem manu* vocat Vellejus : & Tacitus violen-
tiam animo insitam, audaciam, atq; iram ejus perstringit. Pri-
mum meritò laudamus, quum fortitudinis roborisque cor-
porei gloriam, vel certè famam, magni semper viri am-
bitiosiū quæsiverint. Sed nec violentiam, audaciam,
iramq̄e semper damnamus, quum fortiora, & solida
naturā ingenia has ferant tempestates, iisque virtutes ipsas
alant atque inflammat. Nec aliud sanè ingenium inter
barbaros, quales ea tempestate Germani erant, Principi

Tacit. An-
nal. lib. I.

magis conveniebat. Inter hos enim audacissimus quisque,
& ingenii vehementissimus, rebus gerendis promptior habe-
batur. Frustra heic ingenium sedatum, molle, composi-
tum commendaveris: quum illud ab ingenio Germanorum
alienum foret. Etiam præstantissimæ quædam virtutes in vi-
tiorum habendæ loco, & veluti noxiæ postponendæ sunt, si
ab ingenio obsequentium abhorrescant. Vonones Parthorum
Rex, Arminio nostro coævus, à regno dejectus est, quòd
Romanas virtutes ad imperium attulisset.

V. Addit Vellejus, *sensu ipsum celerem, & ingenio ul-*
tra barbarum fuisse. Quam indolem pariter debuit Naturæ,

Vellej. lib.
II. cap.

quæ interdum, et si nulla artis accesserint studia, istam felicis

cxviii.

ingenii dotem, hominibus liberalissimè dispertit. Nimiùm
enim suis blandiuntur Musis, qui omne ingenii acumen,
omnemque prudentiam è Philosophorum petendam scholis,
aut ex sapientiæ libris hauriendam existimant. Jam adole-

Nepos in
Themist.

scens Themistocles celeriter, quæ opus erat, reperiebat; nequè minus in rebus gerendis promptus, quam excogitandis erat. Isto naturæ beneficio pollentes Hamilcar & Annibal, quum vix adolevissent, res maximas patrârunt. Et nondum heros noster vicesimum quintum egressus erat annum, quum militiæ domique negotia maximæ clarissimæque Reipublicæ feliçissimé administraret. Adulationi tamen proprius esset, si heic cum nonnullis statuerem, tardo ductu, & per lentas educationis moras fingi mentes, quæ in turbam nascuntur: at magnas animas, quas natura supra cæteros extulit, festinato rationis usu ad prudentiam rapi, ut vitæ simul, ac virtutis rudimenta ponant.

Vellej. lib.
II. cap.
cxviii.

VI. Evidem imminuere illam in *Arminio* famam ingenii Vellejus videtur, quum tantum processisse ultra barbarum scribat. At nec Dux noster gloriam ingenii aucupatur inter Romanos, quibus operosa servitutis patientia, & obscuræ regnantium artes versutum, acre, & subtile ingenium commendaverant. In Republica autem Germanorum gubernanda, qualis olim erat, unum malum Arminium, quam centum Tiberios aut Sejanos, quos ab ingenii altitudine & subtilitate, tam mirificè Vellejus extollit. Neque enim ibi ad exactam sapientiæ amissim omnia imperanda aut exigenda sunt, ubi mores hominum ista haut patiuntur. Et fortasse haud absconum est, quod à Thucydide olim scriptum: *Hebetiores, quam acutiores, ut plurimum melius Rempublicam administrare.* Quamvis quid tandem *Arminio* defuit, qui quod difficillimum in primis est, & præliō strenuus, & consiliō bonus erat?

Thucyd.
Hist. lib.
III.

VII. Sed potiores sibi partes vindicat Virtus, quæ primò clarissimum adjecit ornamentum ac præsidium, quando castam bonamq; educationem puerο adhibuit. Facilius enim prava educatio corruptit bonos, quam bona malos emendat.



dat. Igitur ubi ætas illi adolevit, non se inertiae aut luxui permisit, sed more gentis, totum se militaribus studiis addixit. Ea enim sola olim inter Germanos via, qua ad famam claritudinemq; nominis contendebatur. Nam literis impallescere, aut sterili pacis incumbere otio, ignavum putabatur. Ac primùm quidem tyrocinium in gentis patriæ castris posuit, inde signa secutus Romanorum, qui per eam tempestatem scientiâ & virtute bellicæ laudis cunctis nationibus præstabant. Vellejus *affiduum militia Romanae comitem* vocat: Tacitus etiam *ductorem popularium meruisse* affirmat. Quo tempore inter castrorum otia lingua didicit Latinam, quæ tunc cum Romano Imperio latè diffusa, maximè per orbem terrarum vigebat.

VIII. Nec diu obscura fortissimi Adolescentis fama fuit, quum egregiorum facinorum gloriâ, non Germaniam modò, sed ipsam quoque Italianam, gentium domicilium, & Imperii arcem impleret. Itaque quum eum Augustus Cæsar ornandum judicâisset, jus Civitatis Romanæ concessit; qui honos nunquam peregrinis, nisi ob maxima in Remp. merita contigit. Pariter equestris dignitas in Juvenem congesta, quæ post Senatorium ordinem amplissima erat. Utrumque honorem, quum maximi duceretur muneris, Reges etiam potentissimi ambiebant: seu illud magnitudini & fortunæ Romanæ datum est: sive homines blandiendo quærunt extolluntque, quod fastidiendo irritare extimescunt. At Arminius vilia ista arbitratur præmia, quæ servitutis memoriam homini ingenuo offundunt. Agnoscit victos miseri victoribus, ut libertatis recordatio fortissimis viris eripiatur. Sed illum angit animum, & vellicat Patria, quæ infeli ci nuper bello attrita, Romanis securibus fascibusque ingemiscebatur.

IX. Etenim circà eam tempestatem Drusus magnam Germaniæ Trans Rhenanæ partem Romanis subjecerat: vi. *Flor. lib. IV. cap. XII.*

Etis magis, quam domitis Germanis, quum nec mores Romanorum, nec arma susciperent. Neque unquam ista gens totum ferre jugum potuit, quum libertatem animâ potiorem diceret. Ergo veluti socii sub imperium Romanorum accepti, qui majestatem eorum comiter colerent: cæterum exercitus tuendi limitis causâ, provinciæ impositus est.

Vellej. Hist. Rom. lib. II. cap. cxvii. Missus ad provinciam administrandam, exercitumque regendum Quintilius Varus, *Vir ingenio miti*, ut Vellejus cum describit, *moribus quietus*, ut *corpore & animo immobiliar*, *otio magis castrorum*, quam *bellicæ assuetus militiæ*: *pecunia vero quam non contemptor*, *Syria*, cui præfuerat, declaravit, *quam pauper divitem ingressus*, *dives pauperem reliquit*. *Flor. lib. IV. cap. XII.* Ac præter avaritiam, Floro haud dissimulante, libido, superbia, sævitia inertem animum insederant: quorum unoquoque nihil generosorum hominum libertati intolerabilius existit.

Dio Cass. Hist. Rom. lib. LVI. X. Sed sicut felicitas in pravo ingenio avaritiam, libidinem, aliaque oculta mala patefacit; ita ipsa scelera successu suo prætumida, saniorem plerumque auferunt mentem, & magnis, ac puerilibus ferè erroribus implicant. Jam pri-
mum *Varus*, verba sunt Dionis Cassii, *instituit eam gentem subito transformare, tanquam servituti subjectis imperare, pecuniasq; ut à subditis exigere*. Perinde ac si non eadem regnum & principatum recentium, quæ arbuscularum, ratio esset: quæ mollem tenellamque requirunt manum, donec conceperint, radicesque egerint. At modò viderat Augustum suum paulatim insurgentem, ut munia Senatus imperiique ad se traheret. Viderat Julium Cæsarem ivisse præcipitem, quum uno omnia momento immutare aggrederetur. Et quam illud absurdum, ut is, qui nulla virtute militari metuendus bellicosæ genti est, præcidere uno velut iœtu jugulum libertatis, crepare tristia servitutis vocabula

bula, & pecunias acerbè imperare moliantur?

XI. Alter error non minùs ridiculus, quām exitialis *Vellej. Hist.*
erat. Nam, ut Vellejus scribit, *Germanos concepit esse homines,* <sup>Rom. lib. II.
cap. cxvii.</sup> qui nihil preter vocem membraque haberent hominum: qui-
que gladiis domari non poterant, posse jure mulceri. *Quo*
proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis
gaudentes dulcedine, jurisdictionibus, agendoque pro tribuna-
li ordine, trahebat astiva. Quis non heic miretur vecor-
diam Vari, qui prætorem urbanum in foro jus dicere,
non in mediis Germaniæ finibus exercitui se præesse cre-
dit? At frustra existimat, eam legum Romanarum esse
præstantiam, ut omnibus Rerumpublicarum formis appli-
cari queant. Neque enim aptæ atque idoneæ sunt civi-
bus regendis, quorum salus primariò, & per se quaeri-
tur. Rectius inculcantur iis, qui imperio herili & monarchico
assuerti, imminere virgas tergis, secures cervicibus, alieno
haud animo patiuntur. At Germani *togas & severiora armis* ^{Tacit. An-}
jura vident, ac simul inhorrescunt. ^{nal. lib. I.}

XII. In isto patriæ discrimine Arminium virum fu-
isse prudentissimum competio, qui quum depellere ju-
gum à cervicibus civium suorum statuisset, non impetu
& audaciâ, sed singulari dexteritate, sed industriâ cir-
cumspectâ rem maximam pulcherrimamque aggreditur.
Primùm enim, quum Catti & Cherusci, teste Tacito,
aternum discordarent, conciliando utrosque existimat; frustra <sup>Tacit. XII.
Annal.</sup>
abs se florentissimum hostium lacesi exercitum arbitratus,
nî latera provinciæ fidis amicis munivisset. Exinde metu
vicinorum sublato, primò paucos, mox plures in societa-
tem consilii recipit: opprimi posse Romanos, & dicit & per- <sup>Vellej. II.
II. cap.</sup>
suadet: *decretis facta jungit: tempus insidiarum constituit.* ^{cxviii.}
Spem felicis successus spondet ex segnitia Vari; haud
imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quām qui
nihil

nihil timere : & frequentissimum initium esse calamitatis, securitatem.

Dio Cas.
Hist. Rom.
lib. lvi.

XIII. Nec abnuebant consilium Germani, qui Vari incepsum non tulerunt: primoribus ipsorum amissum principatum desiderantibus, vulgo consuetam rerum rationem peregrinae dominationi anteferente. Cuncti obsequium sibi erga Romanos commendatum putant, non quo evertitur Respublica, sed quo conservatur. Ac inanes effundi vident querelas, quum semper æquitatem parti & sententiæ imponant, qui armis & legionibus succinerti sunt. Neque illos quidem laudandos existimant, qui inani libertatis jactatione se ac suis in ultimum discrimen adductis, ambitiosâ tantum morte inclarescent. Sed nec causa & justitia armorum longè arcessenda, quum non alia esset, ac quam Tiberio apud Dionem Bato ille attulit: *Vos Romani causam rebellandi eō præbuistis, quod ad custodiendos greges vestros non canes, non pastores, sed lupos mittitis.*

Idem lib.
lv.

Strabo lib.
vii.

XIV. Sed inter cæteros Proceres, quos in societatem pulcherrimi facinoris adsciscere Arminio placuit, Segestes fuit, cuius filiam Thuaneldam matrimonio secum junxerat. Poterat fidem tanti viri obstringere ipsa affinitas, patriæ communis necessitudo, corundemque religio sacrorum: quæ vulgo maxima & sanctissima societatis vincula habentur. Sed eventu compertum est, solam istam heic certam esse fidem, quam quis sibi tantum habet. Ita prudenter ne filio quidem suo Antigonus Rex, sed nec togæ suæ Celia Metellus arcana committenda censebant.

XV. Etenim Segestes, auctis privatum odiis, parati rebellionem Q. Varo aperit. Ipse gener invisus inimici sacer, Tacit. An- ut Tacitus loquitur; queque apud concordes vincula caritatis, ir- nal. lib. i. ritamenta irarum apud infensos erant. Prima odiorum causa ferebatur, quod Arminius filiam ejus alii pactam rapuerat. Sed quum

quum ipsa rapi à tanto amatore gestiisset matura virgo , fri-
gidior videbatur causa , quām ut tantæ perfidiæ velandæ
sufficeret. Igitur maximè illud ingeminat apud Tacitum:
Vetera novis, quieta turbidis antehabeo. Utrumque laude di-
gnum erat , nisi , ut ejus similitas atque arrogantia tulerat ,
ita bonum , malumque publicum existimasset. Quod sanè
bonum publicum nulli , ut plurimum , vehementius jactant ,
quām qui privatis de causis , irā , invidiā , odio in alium
æstuant.

Ibid.

XVI. Quum sāpe certiorem conjurationis reddidisset
Varum , tum supremō convivio suasit , ut se , & Arminium ,
& ceteros proceres vinciret : nihil ausuram plebem principibus
amotis ; atque ipsi tempus fore , quo crima & innoxios discerneret .
Tritum hoc Segestis consilium est , & jam olim à Thrasybulo
Milesiorum Tyranno , & Tarquinio adumbratum , quum ille ^{Tacit. An-}
eminentes segetum aristas , hic summa papaverum capita
decuteret . Etenim *multitudo omnis* , ut Scipio apud Livium ^{Liv. lib.}
differit , *sicut natura maris* , per se immobilis est , ut venti &
aura cident , aut tranquilli , aut procellosi . Sæpius tamen inhori-
ruit vehementius seditio , ubi summa & dilecta populo capi-
ta securi succubuerē. Fusus Hornani & Egmondani sanguis
seditionem Belgicam non extinxit , sed atrocius inflamma-
vit . Nempe ipsa causa , & radix tanti mali exstirpanda est ,
quæ nisi sublata atque excisa sit , facile ipsa seditio , velut in-
felix in agris lolium renascitur .

XVII. Verūm Varus , etsi totum conjurationis ordi-
nem ab Segeste accepisset , nec proceribus Germanis catenas
injicit , nec sibi suisque adversus gravissimas insidias prospicit .
Lubet audire differentem super hac socordia Paterculum:
Sed prævalebant jam fata consiliis , omnemque animi ejus aciem ^{Vellej. lib.}
præstrinxerant. *Quippe ita se res habet , ut plerumque , qui for-* ^{II. cap.}
tunam mutaturus est , consilia corrumpat , efficiatque , quod miser- ^{cxviii.}
rimum

rimur est, ut quod accidit, id etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Non improbamus hanc scriptoris tersissimi sententiam, si hominem rigido isti inevitabiliq; Stoicorum fato haud alliget. Perituris enim oculos obstruit fortuna, & manum injicientibus fatis hebetantur sensus hominum, & obruuntur.

Corn. Nep. in Attico. *Quis tamen negare ausit, Fabrum esse suæ quemq; fortunæ; & suos cuiq; mores fingere fortunam, quod Atticus dicere solebat? Sed Varum, nostrū occupaverat socordia, quâ contra se nixus, rem justâ aestimatione perpendere nequit.*

Vellej. lib. II. cap. cxxviii. *Negat itaque se credere, spemque in se benevolentia ex merito estimare profitetur. Quin, ut Dio ait, objurgabat etiam eos, quòd sibi timerent, ac illos in invidiam vocarent.*

Dio Hist. Rom. lib. lvi. XVIII. Interea dum hæc geruntur, Arminius summo nitebatur studio, ut securitatem Vari adaugeret. Et Germani quidem simulantes fictas litium series, & nunc provocantes alter alterum injuriā, nunc agentes gratias, quòd eas Roma na justitia finiret, feritasq; sua novitate incognitæ disciplina mitesceret, & solita armis discerni, jure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quintilium. Inde agitatum, ut & ipse dux abduceretur à Rheni finibus, & Romanus miles distraheretur. Primum haud difficulter persuasum Varo, quum parùm interesse arbitraretur, ubicumque jura diceret. Nec alterum abnuebat, in stolidam illam adductus opinionem, quasi possent Germani absq; militum opera in servitute contineri. Igitur quum ipse exitiali errore se à Rheno, ubi maxima imperii vis erat, in Cheruscorum fines ad Visurgim abduci passus fuisset, militem non uno continuit loco, sed passim dispersit. Ipsiisque quoque nobili oribus Germanis, quum ex industria & studio inter se commissi, opem ejus adversùs inimicos implorarent, militare præsidium concessit.

Vellej. lib. II. cap. cxvii.

Dio Hist. Rom. lib. lvi.

XIX. Ita divisus exercitus, qui junctus uno sub spiritu, unoque sub rectore par esse poterat Germanis, redditus invasioni opportunus est. Tunc repente ex *composito*<sup>Dio Hist.
Rom. lib.</sup> *quidam ex longinquis Germani insurgunt*. In hos dum *Va-*^{LVI.} *rus signa movet*, sedibus suis exciti Germani, dispersum hinc inde militem opprimunt, ipsum Ducem citato agmine inseguuntur. Arminio una cura, ut hostem inter paludes sylvasque constringeret. Et mox Romanus in locum perlatus, quem *montes convallibus crebris intercepti ac inaequa-les*, ut Dio scribit, inter nemorum intoncos frutices pandebant. Vellejus paludibus ac sylvis inclusum memorat. Ibi *Rom. lib. II.* *Vellej. Hist.* Arminius ascenso tribunali concionatur: superbiam, libidinem, avaritiam Romanorum commemorat; virtutem suorum pollicitationibus accedit: invadi hostem jubet, quem locorum iniuitate circumvallatum, Deus ad poenas deduxisset.

XX. Deprehensus undique Romanus, quum pristinæ virtutis memor esset, ferrō sibi iter aperiendum statuit: simulque proceras cedit arbores, ut paludes intercursantes pontibus sterneret. Sed difficile est, cum soli cœlique luctari injuria, ubi hostem debellandum habes. Ab omni latere locus adversus: qui si bonus, amplius saepe juvit, quam virtus: si iniquus, saepius majorem cladem, quam hostis, intulit. Ipsæ arbores, quæ pontibus struendis cæsæ erant, nunc aggestâ mole viam properantibus intercludunt. Huc accessit pluvia cum magno vento superveniens, quæ magis adhuc eos dissipabat; solumque lubricum ad radices & trunca arborum redditum, gressus quam maximè lapsi obnoxios red-<sup>Dio Hist.
Rom. lib.</sup> debat; tum arborum summa confracta ac dejecta eos perturba-^{LVI.} bant. Arminius favore cœli usus, quod pro Germanis militabat, utrinque ex lateribus pavidos aggreditur: ipse cum

expeditis in prima acie versatur : strenui militis & boni Imperatoris officia simul exsequitur.

Vellej. lib. dire ex Vellejo : Exercitus omnium fortissimus, disciplinā, manu, experientiā bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidiā hostis, iniquitate fortunae circumventus, cùm ne pugnandi quidem egregiè occasio, in quantum valuerant, data esset miseris, castigatis etiam quibusdam gravi pæna, quia Romanis & armis & animis usi fuissent, inclusus sylvis, paludibus, insidiis ab eo hoste ad internacionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem ejus nunc ira, nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum, quam ad pugnandum animi fuit: quippe paterni avitique exempli successor, se ipse transfixit. At è Praefectis castrorum duobus, quam clarum exemplum L. Eggius, tam turpe Cejonius prodidit; qui cùm longè maximam partem absumisset acies, auctor deditiois, supplicio quam præliò mori maluit. At Vala Numonius, Legatus Vari, cætera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fugâ cùm alis Rhenum petere ingressus est; quod factum ejus fortuna ulta est: non enim desertis superfuit, sed desertor occidit.

Sueton. in Aug. cap. xxiii. XXII. Non alia, judice Vellejo, Romanis clades gravior, non alia post Crassi in Parthis damnum atrocior fuit. Suetonius penè exitiabilem vocat, tribus legionibus cum Duce Legatisque, & auxiliis omnibus cæsis. Quantum illa metum Augusto incusserit, idem Scriptor in vita Principis illius graviter ibidem exponit. Hac nunciata, inquit, excubias per urbem indixit, ne quis tumultus existaret; & Präsidibus provinciarum propagavit imperium, ut & à peritis, & assuetis socii continerentur. Vovit & magnos ludos Jovi Opt. Max. si Rempublicam in meliorem statum vertisset;

zisset; quod factum Cimbrico Marsicoque bello erat. Adeo namque consternatum ferunt, ut per continuos menses barba capilloque submissa, caput interdum foribus illideret, vociferans; Quintili Vare, legiones redde: dicimque clavis quotannis mæstum habuerit ac lugubrem. Refert Dio, metuisse eum, ne unà cum Gallis Italianam ac Romanam Germani peterent. Quod etsi per discordias Germanorum impeditum sit, nihilominus <sup>Dio Cass.
Hist. lib.</sup> hac clade factum est, ut imperium, ^{Florus lib.} quod in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis ^{IV. cap. XII.} staret.

XXIII. Locum clarissimi prælii diversis sententiis Scriptores quæsivere: sive illa ignorantia & obscuritas Geographiæ Germanicæ veteris est; sive suæ placere cupierunt patriæ, qui tantum decus ambitiosè eidem asseruerunt. Urspergensis & Nauclerus Augustam Vindelicorum: Moguntiam Æneas Sylvius: Duisburgum Clivorum Aventinus: in Misniam Irenicus: Strombergam Joh. Gigas & Nicolosius transtulerunt. Sed horum opinio explosa est, postquam magnus ille literarum elegantiorum ^{Monumen-} stator ac vindex, Ferdinandus Furstenbergius, ^{Paderbor.} Monasterien- ^{in clade.} sium ac Paderbornensium Præsul, Antiquitates patrias, ini- ^{Var.} mitabili ante cæteros studio, illustrare cœpit. Is ex Dione, Vellejo, & Tacito, tum ex consensu recentiorum Scriptorum, locum clavis constituit ad saltum Teutoburgensem, inter Amisiæ ac Luppiæ fontes, adeoque suis Westphalis verissimô judiciô vindicat. Neque enim aliis est, quam medius Paderbornam inter, & Dethmoldiam: ubi ossa humana, diversi generis arma, numismata Romana reperta, memoriam initi cum Romanis prælii conservarunt.

XXIV. Cæterùm Arminius, quum tantam victoriam evenisse sibi cælitùs cognosceret, signa Romana Diis patriis in lucis suspendit. Ea enim tempestate Majores nostri, quum

Tacit. Annal. lib. I. cohibere patietibus Deos , nefas putarent , lulos ac nemora consecrabant , Deorumque nominibus appellabant se-
cretum illud , quod solâ reverentiâ videbant . Nec impru-
denter hanc pietatem suam deprædicat in oratione ad Ger-
manos Arminius , quum illa religionis fiducia præstruenda
foret actionibus , ut majorem sibi pararet reverentiam ,
promptiusque populo obsequium extorqueret . Quid enim
injusti populus ab eo exspectet Principe , quem Numini
deditum devotumque cognoscit ? Aut quis sacrûm illud ca-
put insidiis petet , si ab ejus partibus Dii stare videantur ?
Ut facile suffragemur iis , qui vinculum Reipublicæ adeò
necessarium statuunt Religionem , ut præstet falsam in ea
esse ac colî , quâm nullam . Nam non veris tantùm capi-
untur mortalium animi , sed & impensè rapiuntur iis , quæ
speciem divinitatis mentiuntur .

Strabo Geogr. lib. VII. XXV. Haud sum nescius , clarissimam hanc victoriam
carpi à Strabone , qui exiguum fidei & famæ rationem ha-
bitam à Cheruscis censet , quando Arminio rebellanti ac-
cessere . Ipsi Romani passim perfidiam exprobrant : idem-
que crimen Marobodus Rex Suevorum Arminio apud Ta-
citum objicit . Sed reponenda his justissima illa Arminii de-
fensio , quemadmodum illum cum Alexandro M. aliisque
loquentem introducit eruditissimus Germanorum Eques Ul-

Hutten. in Dialogo Arm. ricus Huttenus : Atque hoc est , quod ego contra respondeo , neque
aceperisse jugum me , vel animo in servitutem consensisse ; neque si
eo necessitatis iniquo aliquo tempore coactus , me impedivisset , non
licuisse per occasionem , quandocunque ea se dedisset , inde rursus
expediri . Nam quod jus habere potest , qui naturæ beneficium
alteri eripit ? vel quæ injuria est , suum sibi violenter detra-
ctum , pari violentiâ recuperare ?

XXVI. Subjungit statim , quum Alexander M. objice-
ret , fidem abs eo datam : Ut indignè aliquid paterer , non
dederam

dederam. Potui tamen honestè & liberaliter parere, si modestè illi & civiliter imperare voluissent. Sed ut dedissem, extortam vi & injuria, communis hoc vita sancivit: fidem non esse, quam raptores exigunt ab eis, qui necessitate coacti ea concedunt facile, quibus nec ipsi carere debent, nec uti, qui rapiunt. Et paulò post: Ea demum fides est, quâ damus, quod debemus. Age autem, quis tam injuriæ patiens esse debet, ut ea ferat, quæ in Germania faciebant Romani tunc, queque Varus, homo omnium puto, quos terra protulit, avarissimus & iniquissimus? Qui cùm Syriam ante spoliando circumrasisset, Germanos ex toto consumere peculando instituerat. Ibique eâ fuit superbiâ, & animi impotentiâ, ut mente conciperet, bestias esse Germanos, & ratione carentia bruta, non homines; neque ullam tantam esse indignitatem, quam aversari nos deceret, aut contrâ quam resistere. Itaque nihil amentiæ sua temperavit, omne flagitium, & omne ausus est scelus. Qua propter ego, cum illud consciyi facinus, non ergâ legitimos Dominos fidem fecelli, sed contrâ iniquissimos Tyrannos, jus patriæ, & commune fas obtinui.

XXVII. Nec solidior altera illa Romanorum accusatio, quâ superbè ac crudeliter Arminium victoriâ usum exclamant. Tacit. Annal. lib. I.
 Nam, teste Tacito, Tribunos & Centuriones ad aras deorum mactavit. Semiustum corpus Consulis, quod militum pietas humi abdiderat, effossum & laceratum, abscissum-que caput ignominiae causâ ad Maroboduum missum est. Vellej. lib. II. cap. cxix.
 Captivi aut patibulis suspensi, aut in scrobes immissi, len-to & diro mortis genere animas effuderunt. Cæteri, in quos defecerat trucidandi rabies, in servitutem indignissimam abstracti; ut Seneca exclamat, *Variana clade, quâm Seneca E-multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes p. st. XLVII. gradum, fortuna depresso & alium ex illis pastorem, alium custudem case fecit.* Denique, quod rei invidiæque caput, nihil

*Flor. lib.
IV, cap. XII.*

nihil intolerabilius insultatione barbarorum, præcipue tamen in causarum patronos. Aliis manus amputabant; unius os futum recisâ prius lingua, quam in manu tenens barbarus, Tandem, inquit, vipera sibilare desiste!

*Polyb. Hist.
lib. x.*

XXVIII. At putidum fortasse est, illam exigi à Germanis moderationem, quam ipsi in victos Romani non præstabant. Testatur Polybius, capta Carthagine Nova Scipionem jussisse militibus, ut in quoscunque incidissent, omnes occiderent, nemini parcerent. Additque prudentissimus Scriptor: Evidem Romanos hoc facere existimo, ut nomen Romanum terrori sit omnibus; propterea sæpenumero cernere est, quoties capitur ab ipsis urbs aliqua, non homines duntaxat occisos, sed etiam canes bifariam dissectos, & reliquorum animalium membra abscissa. Et ista quidem belli jure ab iis factitata sunt; nam ut nobilis Romanorum Tragicus pronunciat: Lex nulla captio parcit, aut pœnam impedit. Sed nec tanti ciendi sunt motus, si Caussidicis & rabulis forensibus, qui ferinæ linguæ virus alieno dolori locaverant, acerbius insultatum sit. Nam & ipsi Romani non mitiore vocabulo illos canes appellant, qui venali linguâ lambunt tribunal, & omnia ad explendam avaritiam investigant & perscrutantur. Quod nefas fuit, si illa exsecta lingua, quam perjuriô aluerant, aut quam ad lites turbasque fovendas caninâ facundiâ exacuerant? Tametsi crudelitatem & sævitiam in victore laudare nolumus, quum semper illud Lucani placeat,

*Horat.
Epop. vi.*

Vincat, quicunque necesse
Non putat in victos sævum distingere ferrum.

*Tacit. An-
nal. lib. II.*

XXIX. Rebus feliciter contra Romanos gestis, & metu externo profligato, Arminius potissima Reipublicæ munia ad se traxit: unde ab eo tempore annos potentiae ejus Tacitus numerat. Præcipua ejus cura, ut disciplinam militarem conderet, matrem & alumnam triumphorum:

ut

ut rudem Germanorum militiam Romanis bellandi artibus instrueret; ut denique perpetuam bellorum materiam æstuanti & irrequietæ Cheruscorum civitati præberet. Quod prudenter abs eo factum, quum se in gente bellicosa *va-*
Tacit. An-
lidiorem videret, quando bellum suaderet. Ac facile ambitio-
nal. lib. I.
fas aliorum Procerum spes cohiberi posse animadvertebat, si milites & arma, præcipuam imperii vim, ad se transtu-
lisset. Ex hac causa in delictis militaribus severior, in ci-
vilibus mitior erat, quod graviora sagi delicta, quam togæ
prudenter judicaret. Neque enim Stoicis suffragandum,
qui omnia delicta æqualia statuunt: præsertim quum bel-
lorum delicta emendationem non recipiant.

XXX. Sub hæc Tiberius mittitur in Germaniam, qui Rhenum cum exercitu transgressus, ultrò *Arminio arma in-*
fert, quem arcuisse Pater & patria contenti erant; ut Vellejus more suo expeditionem istam magnifice extollit. Nimirum, ut egregiam tanti belli gloriam cognoscamus, *vastat agros,*
urie domos, fundit obvios, maximaque cum gloria, incolumi
omnium, quos transduxerat, numero, in hyberna revertitur.
Quæ tantus Imperator patrat, dum Arminius Germaniam
confirmat, fines præsidiis munit, & aperto Marte conten-
dere cum hoste Romano cupit. Post ejus abitum Germa-
nicus Cæsar adversùs Arminium, ejusque socios profici-
tur: quatuor legiones, quinque auxiliarium millia, & tu-
Tacit. An-
multuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium,
nat. I.
Cæcinæ tradit: ipse totidem duplēmque sociorum nume-
rum dicit, & in Cattos rapit. Festinantiūs ista agebat, quum dissidere hostem intellexisset; non sine ratione exi-
stimas, facile illos prædæ futuros hosti, qui mutuis discor-
diis, pravisque simultatibus inter se colliderentur.

XXXI. Nam vetera odia inter Arminium ac Sege-
stem recrudescebant, quum hic generi potentiam ægris

oculis adspiciens Romanorum amicitiam præferret, ille partam libertatem, gloriamque acerrimè tueretur. Urebat præterea Arminium proditio, quâ haud pridem Segestes conjurationem Germanorum Romanis indicaverat: angebatque animum avecta uxor, quam in publicis tumultibus Pater receperat. Nec arduum erat, armare populares in extium socii, quum sciret, *hominem nunquam excusaturos Germanos*,

Tacit. Annal. lib. I. *quod inter Albitum & Rhenum virgas, & secures, & togas vidissent.*

At ille à popularibus circumcessus, legatos auxilium orantes ad Romanos mittit: moxque Germanicus in obsidentes in vectus, Segestem magna cum clientium & propinquorum manu eripit. Abducta simul Arminii uxor Thuanelda, eademq; filia Segestis, fœmina ingentis animi, mariti magis, quām parentis animo neque victa in lachrymas, neque voce supplex; compressis intra sinum manibus, gravidum uterum intuens; ut Heroinam illam Tacitus describit. Digna marito suo Amazon, & viris illis major, qui rebus adversis animo deliquescunt.

XXXII. At Arminium raptâ uxor, & subiectus servitio uxorius uterus vecordem agebant; volitansque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Cæsarem poscebat. Audita tunc egregia illa vox, & Magno Alexandro quoque usurpata: *Non se proditione, neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare.* Et profectò rideri poterant Romani, quorum tot manus unam mulierculam in triumphum ambitiosè avexerant: quum interea tres legiones Arminio procubuissent. Sed duo potissimum in illa oratione, quæ apud Tacitum exstat, Arminius

Tacit. Annal. lib. I.

Idem ibid. Romanis objicit, *Supplicia & Tributa.* Nec aliunde gravorem illis conflare poterat invidiam, quum his rebus nihil vehementius in visos Magistratus reddat. Nam & supplicia moderatè usurpata, sæpius Te insimulant, quasi sanguine & cæ-

& cædibus hominum gaudens delecteris. Pariter pecunias acerbè conquirendis, plūs invidiae, quām virtutem semper additur. Ultima orationis pars est: si patriam, Parentes, antiqua malling, quām Dominos & colonias novas; Arminium potius gloriae ac libertatis, quām Segestem flagitiosæ servitus Eum sequerentur.

XXXIII. His adhortationibus non Cheruscos modò, sed conterminas quoque gentes concitavit. Sed maximum rebus suis addidit momentum, postquam Inguiomerus Tacit. Annal. lib. I. patrum, veteri apud Romanos auctoritate, in partes traxit. Qua in re utiliorem posuit operam, quām quām omne Bructerorum nomen secum jungeret. Neque enim falsò, aut vanè Marobodus, Sueviæ Rex, quum idem Inguiomerus ad eum postea confugisset, *in illo corpore decus omne Cheruscorum situm esse* jactat. Ejusmodi homines, summæ apud hostes dignitatis, sicut accessu suo magnam justissimæ causæ opinionem afferunt partibus, quibus se associant, ita injustitiæ & diffidentiæ suspicionem relinquent illis, à quibus secessere. Nec aliis defuit unquam æmulandi prurigo, quum quævis excellentium virorum facta, velut in illustri monumento posita, factu inceptuque pulchra existiment. Unde non sine causa majorem Cæsari injectum metum, Tacitus affirmat.

XXXIV. Sed Germanicus, quum Bructeros fudisset, adversùs Arminium signa movet, cedentemque in avia insequitur. Ubi primum copia fuit, evehì equites, campumque, quem Germani insederant, eripi jubet. Sed prudens Tacit. Annal. lib. I. bellicarum rerum Arminius colligi suos, & propinquare sylvis monitos, vertit repente: mox signum prorumpendi dedit ius, quos per saltus occultaverat. Tunc novâ acie turbatus eques, missæque subsidiariæ cohortes, & fugientium agmine impulsæ, auxerant consternationem: erudebantque in paludem gnaram vincen-

tibus iniquam insciis. Fecit heic , quod in bonis Ducibus
Veget. lib. III. cap. ix. commendat Vegetius ; qui non aperto Marte , in quo est
commune periculum, sed ex occulto semper attentant. Et loco
 semper sapientia fuit, alienam operiri stultitiam, quando ho-
 stis suam per imprudentiam ruit. Pugnam hanc Romanis pa-
 rum prosperam fuisse, facile ex ipsa rerum descriptione judi-
 caveris: quamvis Tacitus *manibus equis abscessum* scribat. Sed
 datur hæc venia Scriptoribus, ut clades gentis suæ dissimu-
 lando , famam potius malorum , quam mala ipsa dimi-
 nuant.

Tacit. Annal. lib. I.

Tacit. ibid.

*Tacit. ibi-
dem.*

XXXV. Nec tamen ipsam dissimulare stragem potuit, quam mox in reditu Cæcina , suum dicens militem, susti-
 nuit. Is per angustum tramitem , vastas inter paludes re-
 grediebatur: circùm sylvæ paulatim acclives surgebant. Has
 Arminius implevit, quum compendiis viarum, & cito agmi-
 ne onustum sarcinis armisque Romanum antevertisset. Ibi
 quum cuncta pariter Romanis adversa essent, & locus uli-
 gine profunda, & ad gradum instabilis, & procedentibus
 lubricus, & ipsa corpora loricis gravia; nihil horum urge-
 bat Cheruscos, quos sueta apud paludes prælia, & procera
 membra, & hastæ ingentes ad vulnera facienda armabant.
 Nihilominus aliquandiu sustinuit incursantes Germanos Cæ-
 cina , vetus dux , & rerum ambiguorum secundarumque
 sciens: donec tandem Romani partim metu, partim contu-
 maciâ, ex humentibus locis in proximum se campum effu-
 derunt. Neque tamen Arminius, quanquam libero incursu,
 statim prorupit: sed ut hædere cæno fossisque impedimenta, tur-
 bati circum milites, incertus signorum ordo, utque tali in tem-
 pore sibi quisque properus, & lenta adversum imperia aures,
 irrumpere Germanos jubet, clamitans, En Varus , & eodem ite-
 rum fato victæ legiones.

XXXVI. Ubi

XXXVI. Ubi hæc locutus, cum dilectis scindit agmen,
equisque maximè vulnera ingerit. Illi sanguine suo & lu-
brico paludum lapsantes, excussis rectoribus, disjicere ob-
vios, & proterere jacentes. Ipse Cæcina suffosso equo cir-
cumveniebatur, ni prima legio se opposuisset. **Ac debella-**
tum eo fuisse die, nî Germanorum aviditas omissa cæde,
ad prædam rapiendam incubuisset. Nam effusis in spolia
Germanis, Romanæ legiones, vesperascente die in aperta
& solida enituntur valloque se muniunt. Proh, quām sæpe
obstigit vincentibus dirum illud & pravum inter ipsos certa-
men, quo spolia amissi hoste quæsivére? Cauti ea in re
Romani, quorum provida in occupandis prædis consilia Po-
lybius passim notat. Et benè laudat barbaros illos duces Cæsar,
quòd tota acie pronunciari jussere, *Ne quis loco discederet:*
illorum esse prædam atque illis reservari, quæcunque Romani re-
liquissent. proinde omnia in victoria posita existimarent.

Tacit. Ann.
nat. I.

XXXVII. Sed profectò fortuna victum sæpe erigit, &
victorem affigit. Hærent circumfusi undique Romani, nec
viā eluctandi vident. Etiam equis fortè abruptis vincu-
lis vagus, & clamore territus, Panicam consternationem
attonitis injicit, ut Germanos venisse opinati, cuncti ad por-
tas castrorum tumultuariò ruant. Quid heic faciundum sit,
Arminius & Inguiomerus diversis sententiis agitant. Ille
suadet, *sinerent egressi, egressosque rursùm per humida & im-*
pedita circumvenirent. At hic atrociora ingerebat, *ut vallum*
armis ambirent: promptam expugnationem, plures captivos,
incorruptam prædam fore. Læta hæc posterior Germanis sen-
tentia, quum quantò quis audaciâ promptus, tantò magis
fidus, & rebus commovendis gerendisque aptior apud illos
existimaretur. Nos tamen Arminii præferimus consilium,
quod non ubique hostem claudendum invadendumque
monet. Plerumque enim ad majorem erte sunt virtu-
tem,

tem, qui ad extrema redacti, necessitatem in loco, spem in virtute, salutem in victoria posuere. Neque ullus pernici-
 sior hostis, quam quem audacem angustiae reddunt. Quippe violentius semper ex necessitate, quam ex virtute incen-
 dimur. Et Germanos quidem sero pœnituit audaciæ, qua
 Tacit. Annal. lib. I. conclusum hostem petierant. Nam, ut Tacitus memorat:
*Arminius integer, inguomerus post grave vulnus pugnam dese-
 ruere: vulgus trucidatum est, donec ira & dies permansit.*

XXXVIII. Posthæc Germanicus in Cattos irruptionem facit, & Angrivarios cædibus ac igne vastat. Qua de causa Cheruscos suos ad arma iterum ciet Arminius, ut socios tegat ac defendat. Quum ad Visurgim venissent Romani, Arminius cum cæteris primotibus in adversa ejus ti-
 pa consistens Cæsarem orat, ut cum fratre congregari collo-
 quique liceret. Erat is in exercitu Romano, cognomento
 Tacit. Annal. lib. II. Flavius, qui in prælio paucos ante annos oculum amiserat. Amotis stipatoribus, quum de oris deformitate, & præmio eam ab causam recepto, multa Arminius quereret, *Flavius aucta stipendia, torquem, & coronam, aliaque militaria dona memorat.* Sed irridet vilia ista servitii pretia Arminius, iisque fas patriæ, libertatem avitam, penetrales Germanicæ deos postponi indignatur. Neque enim homini fortis præmia æstimandis magnis virtutibus eliciendisque sufficientia, aut illustribus meritis adæquata videntur, quæ ex quercus foliis, aut vili gramine, aut pusillo auro adornantur. Et quam ambitione infelix est, qui ubi rem ipsam amisit, larvas & umbras rerum miratur? Sed ea Romanorum ars, ut crepundia ista, hastas, phalias, torques, catellas, fibulas, coronas, quibus eximiam militum virtutem ornabant, speciosis nominibus venditarent.

XXXIX. Quum alter fratum magnitudinem Romanam, alter avitam libertatem creparent, paullatim ad juri-
 gia pro-

prolapsi , quò minùs pugnam consererent , ne flumine quidem interjecto cohíebantur ; Arminius quidem minitabundus , & irarum plenus prælium denunciat : Romani quoque animis incensi flumen transgrediuntur. Ibi quum ^{Tacit. Annal. lib. II.} Cariovalda , Dux Batavorum , quâ celerrimus amnis , in Cheruscos erumperet , Arminius fugam simulans , in planitiem saltibus circumiectam , incautum trahit. Mox undique coorti , & effusi Cherisci trudunt adversos , instant cedentibus , ipsumque Cariovaldam cum multo nobilium globo interficiunt. Præbitum tunc egregium documentum , tantò majorem esse metum , quantò magis improvisus oculis offunditur. Hic enim animum simul & prudentiam occupat : nec patitur dominari rationem , insperatis aliorum successibus procumbentem. Sed & tunc arcanum illud militaris scientiæ vulgatum est , lætiori sæpe exitu ferociam hostis accendi cedendo , quàm si violenter præfractæ potentia insultetur.

XL. Arminius successibus instandum ratus , locum ^{Idem Ibi-dem.} pugnæ decretoriæ deligit : alias quoque nationes in sylvam Herculi sacram convenire jubet. Placuit nocturna castrorum Romanorum oppugnatio , quâ tenebræ ad augendam formidinem opportunæ , somnusque , & improvisum periculum territos simul comprehendenderent. Quale consilium non sine valida ratione bonum appellat sanctior pagina : nec fortissimi Imperatores alpernandum existimarunt. Frivole enim ambitiosus M. Alexander , qui furtum noctis obstatre suæ gloriæ existimabat. Cæterum indicio perfugæ detectum consilium , frustraque tertiâ noctis vigiliâ castris adsultatum est. Ergò posterâ luce concionem vocat Arminius , & sapientia prævisa , aptaque imminenti pugnæ differit : *Hos Tacit. Annal. lib. II.* esse Romanos Variani exercitus fugacissimos , qui ne bellum tolerarent , seditionem induerint , quorum pars onusta vulneribus , pars fluctibus

fluctibus & procellis fractos artus, infensis rursum hostibus, adversis diis objiciant, nulla boni spe. Et paullò post: Meminissent modò avaritiae, crudelitatis, superbiae. An aliud sibi reliquum, quam tenere libertatem, aut mori ante servitum?

Lipf. ad Tacit. XLI. Sic accensos, & prælium poscentes in campum deducit, cui Idistavisi nomen est: quem Lipsius infrà Bre-
Tacit. An. lib. II. tam, mare versus collocat. Ex Taciti descriptione, Is medius inter Visurgim & colles, ut ripæ fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt, inæqualiter sinuatur: ponè ter-gum insurgebat sylva, editis in altum ramis, & pura humo inter arborum truncos. Pars victoriae videbatur, locum tam comodum occupasse: sed nec minor ad firmandos militum animos fuit prudentia, aciem rectè ordinasse. Nam socii Cheruscorum in duo agmina divisi, pars campum, pars sylvarum prima tenebant: medii inter hos Cherusci juga infederunt, ut præliantibus Romanis desuper incurrerent. Sed profectò, omnia quæ agimus, subjecta sunt mille casibus; & omnia prudentissime incipientem Fortuna sæpius fecellit. *Mirum dictu,* ait Tacitus, *duo hostium agmina di-versâ fugâ, qui sylvam tenuerant in aperta, qui campis adstiterant in sylvas ruebant: medii inter hos Cherusci collibus detrucebantur.*

Tacit. An-nal. lib. II. XLII. Inclinatâ acie Arminius insignis manu, voce, vulnere sustentabat pugnam. Macte meliori fortunâ, fortissime Heros, qui nullum in illa trepidatione constantis Ducis, aut strenuissimi militis officium omittis! Sustentat pugnam voce; qua nullum fortitudinis incitamentum validius est. Pericles incertum manu, an linguâ fortior, certè utraq; Græciam miscuit, istâ tonâsse, illâ fulminasse creditus. Nec alia de causa Athenæ summos Oratores ac Vates magnis exercitibus præfecerunt, quorum magnam dicendi vim armatæ phalanges expavere. At quam pulchrum, si non dicta solùm, sed & facta sua sequi Imperator cupit? si non solum voce, sed manu

manu & vulnere pugnam sustentat? si vult, ut miles non disciplinam modò, sed exemplum etiam abs se petat? Pronior in fortitudinem Romanus miles, quum Cato monstraret tollere labores, non juberet.

XLI. Jamque Arminius incubuerat sagittariis, illâ Tacit. An-
rupturus, ni Rhætorum, Vindelicorumque, & Gallicæ cohortes nub. lib. II.
 signa objecissent: nisu tamen corporis, & impetu equi pervasit,
 oblitus faciem cruore, ne nosceretur. Pari modò effugit Ingu-
 omerus, quum os cruore fœdum, lineamenta confudisset.
 Sed dubitat Tacitus, virtusne illa, an fraus fuerit? Verùm,
 dolus, an virtus, quis in hoste requirat? Parùm interest, vi,
 an dolo potestatem hostium evadas. Non Cæsari ad glo-
 riā obfuit, quod abjecto paludamento effugium inven-
 erit. Quin dolum plerumque ratio, impetum fortuna ducit;
 ut proinde ille maiorem sibi laudem vindicet. Nam dignior,
 magisque conveniens homini illa actio, quæ ratione & sin-
 gulari judicio instituitur, quam quæ per vim, sive auda-
 ciam peragitur.

XLIV. Tantæ stragi causam præbuit nimia victoriæ
 fiducia, quæ plerumque magnæ calamitati præludit. Re-
 pertæ inter spolia Germanorum catenæ, Idem ibi.
quas in Romanos, dem.
 ut non dubio eventu portaverant. At illi compedes, qui in
 hostem parati erant, parantibus injecti sunt. Non id An-
 tonio cessit felicius, quum Cretam invaderet, cum ingenti Florus lib.
guidem victoria spe atque fiducia, ut plures catenas in navibus, III. cap. VII.
quam arma portaret. Et magnas vanitatis suæ pœnas, paren-
 tum nostrorum memoriâ, dederunt Suevi, quum
 victoriæ certi, funium, compedumque, & novacularum
 magnam vim ad vinciendos tondendosque Bavaros in
 castra convexissent. Ejusmodi homines ignorare viden-
 tur ludentis fortunæ casus, qui nullibi plures, & pe-
 riculosiores, quam in bello evenire solent. Quorum sto-

D

lidam

Aventin.
Rer. Boj.
lib. VII.

*Cominæus
lib. iv.* fidam temeritatem, dum prædam ante captum dividunt, scitâ similitudine Fridericus III. Imperator Legatos Gallicos apud Cominæum docet, & simul irridet.

*Tacit. Ann.
nat. lib. II.* XLV. Magnâ jam pugnâ victi Germani, relinqueret sedes suas, & se trans Albim recipere constituebant: quum interea Romanus miles in loco prælii struit aggerem, & in modum trophæorum arma subscriptis victarum gentium nominibus imponit. *Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quam ea species dolore & irâ adfecit.* Ac sanè malo consilio statuunt trophæum Romani, domitisque hostibus victoriam exprobrant. Dum gloriæ consulunt suæ, viatos ignominiâ accendunt. Æternis odiis consecrant materiam, & præsens vindicandi incitamentum præbent, qui pro humanitate, pro clementiâ, pro mansuetudine, insolentiam, superbiam, contumeliam relinquunt. Et quale ab iis sperabitur obsequium, quorum patientiæ illuditur? Semper quidem libertatis memoria romordebit animos, quamdiu superbo monumento affixas suæ gloriæ exuvias videbunt. Sic irritati Germani, qui modò abire sedibus, trans Albim concedere parabant: pugnam volunt, arma rapiunt: plebs primores, juventes, senes, agmen Romanum repente incurvant, turbant.

*Idem ibi-
dem.* XLVI. Acris diu, & ambigua pugna fuit, quum Germanos contumelia, Romanos gloria, fortissimi fortitudinis stimuli, incitarent. Sed tandem *impromptus Arminius ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat.* Usque adeò terrentur periculis etiam fortissimi animi; & saepius in calamitatibus mollescunt. Ac facile etiam rerum secundarum ambiguorumque sciens, ac interritus, metum concipit, ubi fortuitis objectus casibus sine fortunæ solatiis jactatur. *Quin & Ingiomerum tota volitantem acie, fortuna magis, quam virtus deserebat.* Ut falsum proinde sit, quod apud Livium dicitur, *Fortuna virtutem sequitur.* Sæpe enim

pe enim hæc levissima dea destituit virtutem , ut quicquid alibi prosperè gestum est , suum id esse omne ostendat. Igitur fusis adversâ fortunâ Germanis , Cæsar aliam armorum congeriem struxit , superbo cum titulo : *Debel-* Tacit. Annal. lib. II. *latis inter Rhenum Albimque nationibus, exer-*
citum Tiberii Cæsaris ea monumenta Marti,
& Jovи, & Augusto sacravisse.

XLVII. Salva tamen Germanorum civitas , quamdiu Arminius salvus : tametsi non tam propitia illis fata , ut diu tranquillitate fruerentur. Etenim *discessu Romanorum, ac vacui externo metu , gentis assuetudine , & tum emulatione gloriae , arma in se vertunt.* Ita nulla magna civitas quietescere diu potest ; si foris hostem non habet , domi invenit. Et hæc civilis discordia unum illud venenum , una illa pestis magnis civitatibus reperta est , ut magna imperia essent mortalia. Ac liceat heic applicare Germanis , quod nobilissimus Scriptor de suis Romanis dixit : *Qua tem-* Sallust. in
pestate Germaniae fatum excidii adventarit , crues cum civibus manus conserturos : ita defessos & exsangues regi , aut nationi præda futuros. Aliter non orbis terrarum , neque cunctæ gentes congregatae movere , aut contundere queunt hoc imperium. orat. I. ad
Cæs. de
Rep. ord.

XLVIII. Igitur omnis Germania scinditur in partes duas: pars Arminio, pars Maroboduо, Suevorum Regi adhaerent. *Vis nationum , virtus ducum in aequo : sed Marobodus Regis nomen invisum apud populares habebat.* Imprudenter quidem ille sibi adsciscit nomen , quod gentibus libertati assuetis terribile atque odiosum existit. Et stolidum videtur , non contentum esse potestate , sed gloriari insignibus titulorumque ornamenti , quæ nihil conferunt. Sapientius Augustus , quum Regis invisum esset vocabulum , omnia sub Principis nomine in potestatem accepit. At Arminium

D 2 pro

pro libertate bellantem favor habebat. Scilicet hoc dulce illud blandumque nomen est, quô facillimè mentes humanæ ad quævis alliciuntur. Isti enim omnes naturâ student, & conditionem servitutis oderunt. Itaque non mirandum, si è regno etiam Marobodui Suevæ gentes, Semnones ac Longobardi defecere ad Arminium.

Tacit. Annal. II.

Idem ibid.

XLIX. Is jam accessione illa præpollebat, ni Inguimerus cum manu clientum ad Marobodium perfugisset. Causam non aliam fuisse scribit Tacitus, quām quia fratri filio juveni patruus senex parere dignabatur. Tanta invidiæ vis est, ut quis hostis, quām amicus suorum esse malit. Neque hæc furia plebejos tantùm urget animos, sed præstantissimos viros exercet, ubi alios minoris virtutis atque existimationis sibi præferri vident. Accidit autem, ut ea sibi deberi credant homines, quæ falsa spe devorarunt: si non obtinuerint, pro injuria accipient. Tunc quantum suo detractum honori putant, tantùm animi ad nocendum turbandumque afferunt. Ac quum aliorum odia aut dies tandem sopia, aut ratio minuat, illa accerrima & veluti æterna esse solent, quæ cognatos tristi æmulatione inter se collidunt.

Tacit. Ann. lib. II.

L. Postquam acies utrinque directa erat, Arminius equo collustrans cuncta, ut quosque advectus erat, Reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc & tela Romanis direpta in manibus multorum ostentabat. Pariter oratione suos accendebat Marobodus, & neque jactantiâ sui, aut probris in hostem abstinebat. Utrumque in viro forti levitatis ac imprudentiæ indicium: quum ignavissimus quisque, & in periculo minimum ausurus, nimius verbis, linguâque ferox esse soleat. Cæterum his vocibus instinctos exercitus propriæ quoque causæ stimulabant. Nam Cherusci Longobardique pro antiquo

antiquo decore , aut recenti libertate certandum sibi putabant: Maroboduus verò, Suevique augendæ dominationi fermentum stringebant.

LI. *Non alias majore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus: Sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum percussi fuit; & transfugis paullatim nudatus, in Marcomannos concessit.* Tacit. Annal. II. *Hic exitus belli tanti fuit, quo Marobodui res fractæ atque prostratæ corruebunt. Nam paulò post, quum undique desertus esset, relictâ Germaniâ ad Tiberii misericordiam confugit: consenuitque Ravennæ, multum imminutâ claritate, ob nimiam vivendi cupidinem. Interea Drusus, quum compositas Germaniæ res, Arminiique potentiam subvertere armis nequiret, magnum decus quæsivit inliciens Germanos ad discordias, ut Romanus Scriptor de eo loquitur.*

LII. At Arminius, Romanis abscedentibus & Maroboduo æmulo pulso , quum armis succinctus esset, consilia inivit de mutanda Republicâ, quæ potestatem ejus legibus circumscripserat. Igitur *regnum affectat*; Idem ibidem. *sive illud suis deberi meritis existimabat, sive promptius imposterum aditus pericula, si sua tueretur; sive ut quisquis excellentissimus est ingenio, & animo invictissimo, ita ad dominationem maxime proclivis existit. Neq; fortasse erat, quod magis expediret discordanti Germanorum Republicæ, quam ut ab uno regeretur. Tolli enim absoluto unius Principatu poterant controversiae, quæ studiis acerrimis & intestissimis nunc surgentium, nunc succumbentium factionum, gravissimè Rempublicam affligeant. Quod si ergò summis laudibus in cœlum meritò evehantur illi, qui primi vagos dispersosque homines in societatem civilem subegerunt; non minus laudanda videbantur.*

tur Arminii ausa , quibus civitatem discordiis fessam , & suo imminentem exitio , colligere uno sub Rectore , & uno animare spiritu ac servare decreverat.

LIII. Sed respondere ex popularium hominum sententia lubet. Ingentia & immortalia Arminii merita in Rempublicam extabant , quibus illam ex flammis & ruinis erectam , ad summam claritudinem protulerat. Neque tamen statim tantum cuique in libera Republica tribuendum , quantum meretur , sed quantum securitas Reipublicæ patitur. Quod in Cæsare ac Pompejo neglectum , magnis postea cladibus expiatum est , quum oppressâ libertate Romanam Rempublicam alter subverteret. Denique Monarchia tum demum reliquis imperiorum formis anteferenda est , si eam ingenia hominum pati possunt. Multi autem ad invisum Regis nomen exhorrescunt : quod id libertati inimicum exitiosumque arbitrentur. Ita *Arminius adversam popularium libertatem habuit.*

Tacit. Annal. lib. II. LIV. Cæterum ille , quod affectabat , armis quærere statuit. Serò tunc observatum est , parcius colendas eminentium hominum virtutes , ne nimiis instruti viribus , contemptâ exutaque æqualitate ad mutantam Rempublicam vertantur. Tantum quippe periculum populari imperio imminet à summis paucorum virtutibus , si nimium extollantur , quantum à summis vitiis impendet. Ac plerumque accidit , ut amoto externo hostilique metu eandem vim , quâ illos armaverat Respublica , in ipsam detorqueant. Et Arminius quidem armis motis *variâ fortunâ certat* ; quum sicut ille pro augenda dominatione , ita cæteri pro libertate conservandâ , vires sumerent.

LV. Sed tandem magnum illud Germaniæ decus , quum

quum virtute frangi haut posset , *dolo propinquorum cecidit.* Iniquissimi illi , & perditissimi, qui tanti Principis sanguine se foedârunt. Quod scelus tanto gravius est , quantò tetrius habetur , cognatorum concidisse fraudibus , quem non vis hostilis , non motæ toto Imperio Romanæ legiones læserant. Frustra heic mihi objicitis violatas leges , quarum religioni adstrictus fuerat. Sancta enim semper , atque inviolabilis est omnium imperantium Majestas : cæteris autem patientia tot gentium exemplis commendata est , si quædam legibus adversa patraverint. Et quid crudelissimi parricidæ manus intingunt sanguini Principis sui , quum tot alia mitigiora forent remedia, quibus suæ prospicere securitati poterant ? Neque evertuntur meritò qui meritò à populo metuuntur ; quum adversùs metuendam injuriam sine injuria securitatem sibi præstare Respublica possit.

LVI. Post cædem fortissimi Herois , quum Cherusci victoribus Cattis in prædam cederent , improsperè quæsitum sanguine Principis sui libertatem viderunt. Nam quod Cornelius Nepos de Thebis testatur , illas cum Epaminonda surrexisse & concidisse : mihi de Cheruscis non absimiliter affirmare lubet , eos, quamdiu Arminius præfuit Reipublicæ , caput fuisse totius Germaniæ : post ejusdem autem interitum amisisse & decus , & potentiam , & existimationem. Sequutum enim est , quod Tacitus memorat ,

In latere Cauchorum Cattorumque Cherusci nimiam ac marcen- Tacit. de tem diu pacem illaceffiti nutrierunt : idque jucundius , quām tu- morib. Germ. sius fuit , quia inter impotentes & validos falso quiescas. Ubi manu agitur , modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni aequique Cherusci , nunc inertes ac stulti vocantur. Non mirum igitur , si desideratus post mortem Arminius , si memoria ejus sacrata carminibus , quæ tempore Taciti apud Germanicas

Cornel.
Nepos in
Epami-
nond.

Tacit. de
morib.
Germ.

ARMINIVS.

32

Voss. Theol.

Gentil. lib.

II. cap.

xxxii.

manicas gentes adhuc caneabantur. Quin statuam posuit posteritas, quam *Ermenseul* sive *Hirmensul* Saxones dixeré, & in Arminio Martem ac Herculem divino cultu prosequunti sunt.

Tacit. An-

nal. lib. II.

LVII. Extinctus est in flore ætatis, quum septem & triginta annos vitæ explevisset. In quo, sicut in cæteris Magni Alexandri fatum subiit, cui ut ætate fere æqualis, ita magnitudine animi ac gloriâ par omnino fuit. Uterque in virenti ætate, scelere suorum subversus est. Alexander duodecim annos regnavit; Arminius idem potentia spatiū explevit. Ambo orientem fortunam moderatè & prudenter tulére, sed ad extremum magnitudinem ejus non ceperunt. In Alexandro iram & violentiam Arrianus & Curtius, in Arminio Vellejus & Tacitus perstringunt. Alexander beneficiis ac munificentia magnus habebatur: iisdem quoque virtutibus famam sibi Arminius conciliabat. Ille juvenis, aut adolescens res maximas brevi tempore confecit: hic nondum vigesimum quintum egressus erat annum, quum & clarissimā post homines natos victoriā adversus Romanos potiretur, & maximam Rempublicam à servitute eriperet. Qua in re major etiam Alejandro dicendus Arminius, quod eruditio dialogo vult Huttenus, quum non in molles Persicæ populos, aut imbelles Indicæ inciderit nationes, sed florentissimum Romanorum imperium, cui nihil par, aut secundum, maximis victoriis labefactaverit. Ac Alexander quidem exercitum cum imperio à Patre Philippo acceperat: Arminius autem, rebus Germanicæ perditis ac deploratis, in summis difficultatibus, Dux incepit esse exercitus, qui nondum coiverat. Sed longè difficilius, ex humillimis & ab omni fortunæ præsidio destitutis initiis, quam magnis clarisque ad maxima surgere. Alexandrum præclara Scriptorum ingenia æterni-

Ulrichs

Hutten.

Dial. inter

Script.

Germ.

Schard.



ARMINIUS.

eternitati consecrârunt : Arminius solius hostis beneficio
vivit , semperque memorabitur illo monumento , quod ³³ Tacit. An-
Cornelius Tacitus tantis manibus vel invitus posuit. <sup>nal. lib. II.
cap. ult.</sup>

ARMINIUS

ABSCEDENTIBVS ROMANIS,
ET PVLSO MAROBODVO
REGNVM AFFECTANS
LIBERTATEM POPVLARIVM ADVER-
SAM HABVIT,
PETITVSQUE ARMIS , QUM VARIA
FORTVNA CERTARET,
DOLO PROPINQVORVM CECIDIT,
LIBERATOR HAVD
DVBIE GERMANIÆ,
ET QVI NON PRIMORDIA
POPVLI ROMANI,
SICVT ALII REGES DVCESQVE,
SED FLORENTISSIMVM IMPERIVM
LACESSIERIT,
PRÆLIIS AMBIGVVS,
BELLO NON VICTVS,
SEPTEM ET TRIGINTA ANNOS VITÆ,
DVODECIM POTENTIÆ
EXPLEVIT

E

CANI-



CANITVRQ; ADHVC BARBARAS
APVD GENTES
GRÆCORVM ANNALIBVS IGNOTVS,
QVI SVA TANTVM MIRANTVR,
ROMANIS HAVD PERINDE
CELEBRIS
DVM VETERA EXTOLLIMVS,
RECENTIVM INCVRIOSI.

CANI

E

Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3



5b.

a.5. 1017





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



D. M. A.
**MINII
SCORVM
CIS
ET RES
STAS**

NE ORDINARIA
RÆSIDIO
ACHENBERG
HISTOR. PROF.

nnium examini

o Philosophico

DC LXXIX. Hor. Sol.

roponet

EODORVS SPIEGEL

ELSHEIM

Westphalus.



**BERGÆ,
MONII, ACAD. Typograph.**

34.